



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Qualitas, diuisio & existentia causæ finalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Voluntas ager, esset propositio necessaria; sed ista contingens est, Si e. o. decrevero concurrere sequendo existentiam voluntatis, voluntas liberè operabitur; & hoc est quod videt Deus, & per quod determinatur.

Tertia ob-
iectio.

Obicitur tertio, Deus non potest videre determinationem voluntatis creatæ, quin videat illam existentem dependenter ab omnibus suis causis, sed vna ex illis causis est decretum Dei de dando concursu: ergo Deus non potest videre determinationem creatæ voluntatis, quin videat suum decretum: ergo non determinatur ad decretum per illam determinationem: ergo Deus determinatur ad decretum per ipsum decretum.

Resp. Deum non posse determinari ad decretum per ipsum decretum, sed posse determinari ad decretum per aliquid quod in obliquo connotet ipsum decretum conditionatè futurum. Vnde ad argumentum concedo, quod Deus non potest videre determinationem creatæ voluntatis, quin videat decretum suum conditionatè præsum ab ea connotari; nego autem ultimam consequentiam: ergo non determinatur ad decretum per illam determinationem quæ in obliquo connotat decretum futurum conditionatè; sic enim ipsum decretum non determinat decretum, sed aliquid connotans in obliquo decretum, in quo nihil est incommodi.

QVÆSTIO V.

De causa finali.

Aristoteles 2. *Physic.* cap. 8.

Causam finalem Ethica considerat agens de fine ultimo ad quem homo debet dirigere suos actus, & ex illo totam vitam ordinare. De hac autem causa quinquę sunt physice considerationes. Primum existentia & quidditas causę finalis cum variis eius diuisionibus: secundum principium causandi finis: tertio causalitas: quarto effectus: quinto quęnam agentia agant propter finem.

SECTION I.

Quidditas diuifio, & exiftentia caufa finalis.

Quiditas definitione continetur; diuifio mul-
 tiplex eft. Circa existentiam finis controuer-
 fum duntaxat hoc loco eft, vtrum finis verè partici-
 pet conceptum formalem caufa, & fit vera caufa.

Definitio.

Dico primò, rectè finem definiri, *Id cuius gratia, seu id propter cuius amorem fit aliquid.* Materia videlicet causat recipiendo, forma actuando, efficiens per positivum influxum, finis per bonitatem & conformitatem.

Dux condi-
tiones.

Colligitur autem ex data definitione, quod ad finem due requiruntur necessario conditiones. Prima vt per se, fere propter propriam bonitatem fit amabilis: fecunda vt eius gratia fiat aliquid; medium videlicet propter aliud amatur, & efficitur. Finis est id propter quod amatur, & fit aliud; quiddid enim amat voluntas, vel illud propter se amat, vel propter aliud, id est vel in eo ffitit, vel illud ordinat ad aliud. Id in quo ffitit, dicitur finis; quod ordinatur ad aliud, dicitur medium.

Finitis vlti-
mus & non
vltimus.

Dico secundò, duas esse præcipuas diuisiones finis; primò enim diuiditur in finem *ultimum*, & non *ultimum*. Finis ultimus est is, qui tantùm propter bonitatem suam appetitur, & non propter aliud, seu ad quem alia omnia referuntur, ipse verò ad nihil aliud refertur in tali serie; vt sanitas, Deo visio, &c. Finis non ultimus est, qui propter bonitatem quidem suam appetitur, sed ica tamen vt ap-

petatur etiam propter aliud: ingrederis v.g. carcerem, vt des elemofynam, & elemofynam illam ad remissionem peccatorum ordinas; elemofyna illa finis est, quia per te amatur; & medium, quia propter aliud amatur. Rursum autem finis vltimus alter est simpliciter vltimus, ad quem omnia creata referuntur, vel explicitè, vel implicitè; ipse vtd ad nihil aliud refertur: huiusmodi est Deus, *a*, & *o*: alter est vltimus secundum quid, quod propter se sic expetitur, vt propter aliud non expetatur intra certam seriem actionum; huiusmodi finis potest esse sanitas, quæ licet referibilis sit ad aliud, tamen intra seriem quandam actionum non ordinatur ad aliud. De fine simpliciter vltimo, ad quem vt scopum collineare debent omnes actus nostri, dicitur in principio Ethicæ.

Secundò celebris est diuifio finis in finem cuius gratiâ, & finem cui: finis cuius, est ipsa res assequenda, ad quam media omnia diriguntur, vt fanitas est finis cuius gratiâ pharmacum hauritur. Finis cui est subiectum cui talis res desideratur; ille qui haurit pharmacum finis est cui fanitas amatur. Rursum finis cuius diuiditur in finem qui, & finem quo. Finis qui, est res ipsa quæ desideratur; finis quo, est assequatio, seu possessio rei; v.g. Beatitude est finis cuius gratiâ homo existit, sed in ea finis qui, est Deus; finis quo, est visio Dei. Circa diuifionem hanc notissimam in finem cuius, & finem cui; in finem qui, & finem quo, tria necessario debent obseruari.

Primum est, diuisionem hanc non esse diuisionem finis in duos fines adequatos, sed in duas rationes eiusdem finis, qui simpliciter dicitur cuius gratia; quia uidelicet nunquam vnus ex illis finibus suam exercet causalitatem sine altero, idest nisi relatus & coniunctus cum altero. V. g. cum fit aliquod propter sanitatem, non fit illud propter sanitatem in abstracto, sed propter eam vt coniungendam cum subiecto sanando. Illud ergo quod adequatè mouet egrotum, est sanitas futura in se ipso, idest, esse sanum. Finis ergo cui, & finis cuius duæ sunt rationes inadæquate vnum adequantes finem totalem; finem cuius, vt formam acquirendam; finem cui, vt subiectum informandum. Idemque dicendum rursus est de fine qui, & fine quo, ex quibus tanquam ex partibus integratur vnus finis cuius.

Secundum est, quod vterque ille finis verè participat rationem finis, quia vterque propter se amatur, non propter aliud; finis enim cuius gratià, tamen si ametur alteri tanquam bonum ipsi conueniens, verè tamen habet rationem finis, quia propter bonitatem suam appetitur, & ad ipsam alia ordinantur omnia, vt constat in sanitate quae amatur vt conueniens aegrotis, & propter illam fiant omnia pharmaca. Neque obstat, quod finis cuius ordinetur ad finem cui; vnde videtur amari propter aliud, & ad aliud ordinari; dupliciter enim potest aliquid ad aliud ordinari. Primò vt medium ad finem assequendum, & quidquid eo modo ad aliud ordinatur, finis rationem non habet. Secundò ordinatur ad subiectum tanquam vltima ratio assequenda, & hoc non tollit rationem finis. Itaque finis cuius, non appetitur propter aliud primo, sed secundo modo; quia non appetitur tanquam aliquid vile ad bonum aliquod vltèrius assequendum, sed tanquam bonum assequendum: sanitas enim v. g. licet non appetatur propter se ipsam extra subiectum, sed propter se ipsam in subiecto, tamen particula illa, *propter*, non denotat vltèriorem aliam formam assequendam, sed solum denotat subiectum; ideoque dici non potest medium, sed verus finis. Nam v. g. per actum speciei Deum amamus vt nobis bonum & vltimum finem nostrum, & illum ad nos ordinamus.

Finis cuius,
& finis cui.

Non sunt
duo fines
adequati.

Habent ve-
ram ratio-
nem finis.

ordinamus tanquam ad subiectum, cui est conueniens, non tanquam medium ad finem.

Vtri potius
conueniat
ratio finis.

Tertium est, vtrum ratio finis magis conueniat fini cui, quam fini cuius; an contra, idest, vtrum magis ametur finis cuius, quam finis cui. Puto autem distinctione opus esse; nam vel finis cuius est ipsa ratio formalis amandi finem cui, vel bonitas finis cui est formalis ratio amandi finem cuius. Si primum, finis cuius magis amatur quam finis cui, nec ad illum ordinatur, v. g. cum Deum amamus per amorem concupiscentia, quatenus nobis bonus est, non nos magis amamus quam Deum, neque Deum ad nos referimus, quod esset inordinatissimum, sed nos ipsos potius referimus ad Deum, tanquam ad bonum nostrum, cui volumus coniungi; in eo enim actu Dei bonitas est obiectum formale, quod primo respicitur, & cuius gratia desiderantur reliqua omnia. Quando vero ratio formalis amandi finem cui est bonitas illi propria, non autem bonitas finis cuius, tunc certum est finem cuius minus amari quam finem cui, cum ad illum ordinetur, vt cum expeto mihi sanitatem, magis me amo quam sanitatem, quam non nisi propter me amo.

Finis est vera
causa.

Dico tertio, finem esse veram & realem causam physicam. Ita communiter cum Philosopho 2. *Phys.* 6.2. & 3. vt indubitatum asserunt Philosophi omnes & Theologi, quorum sensum deserit Hurtadus *diff. 13. de anima, sect. 5.* contra quem consueverunt Socrates & Plato, qui solam causam finalem asserbant esse, ac vocari debere causam.

Probatio.

Ratio est, quia id à quo realiter, & per se pendet effectus, est causa realiter & per se illius effectus: sed effectus physicus realiter & per se pendet à fine; nam ab eo realiter & per se pendet effectus, propter quod, seu cuius gratia producit, & quod verè mouet agens ad agendum: sed finis est id propter quod producit effectus, & verè mouet agens ad agendum: ergo ab eo pendet effectus; cum enim volo recuperare sanitatem, illa me realiter mouet ad sumendum pharmacum.

Deinde causa efficiens, quæ temerè non agit, per se exigit agere alicuius gratia: ergo effectus exigit fieri alicuius gratia. Denique particula, *propter*, non minus designat veram causalitatem, quam particula *ex*, vel *à*: finis autem est id propter quod: ergo non minus est causa, quam materia, vel efficiens.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primo. Omnis causa est principium: sed finis non est principium, nam duo hæc opponuntur: ergo finis non est causa.

Resp. duplicem in humanis actionibus distingui solere ordinem: primus dicitur ordo intentionis, secundus ordo executionis. Ordo intentionis est ille, in quo finem cognitum desideramus & amamus, & media ad illum obtinendum querimus, vbi quinque includuntur actus, cognitio finis, amor finis, intentio efficax, consultatio seu inquisitio mediorum, & electio aliquorum mediorum præ aliis. Ordo executionis est in quo, mediis inuentis & electis vtimur ad consequendum finem, seu is quo per media electa finem ipsum acquirimus. Certum est finem, qui est vltimus in executione, semper esse primum in intentione; quia semper ante omnia intenditur finis, tum ex eius amore media eliguntur; at verò in ordine executionis acquiritur finis per media, quæ causæ sunt efficientes finis; vnde patet finem in ordine intentionis esse principium, non autem in ordine executionis.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundo. Quod non existit, non causat realiter: finis non existit quando mouet ad sui consequentem: ergo finis non causat realiter.

Resp. verum quidem esse, quod nihil efficienter causare potest, si non existat; falsum autem, quod

R. P. de Rhodis *cris. Philosoph.*

A causare non possit finaliter. Ratio est, quia modus causandi efficientis est per actionem actu egredientem ab agente, tanquam à principio actuali; actio autem actualis non egreditur nisi à principio actuali. At verò modus causandi causæ finalis non est per actionem actu & proximè egressam ab ipso fine, sed tantum procedentem à fine vt mouente agens à quo proximè actio egreditur; finis enim causat tantum mouendo agens; mouet autem quamuis non existat realiter, sed tantum per apprehensionem.

Obiicitur tertio. Illa non est causa realiter, quæ causalitatem non habet nisi metaphoricam: finis vt (postea dicitur) causalitatem non habet nisi metaphoricam, quia motio metaphorica causalitas est finis: ergo finis non est causa realiter. Deinde si finis esset causa, idem esset causa sui ipsius, quia finis est effectus ipse productus. Denique creaturæ Deum possunt mouere metaphoricè, non possunt autem exercere causalitatem aliquam in Deum: ergo mouere metaphoricè non est causare.

Tertia ob-
iectio.

Resp. causalitatem finis esse verè realem, non autem tantum metaphoricam; non enim dicitur causalitas hæc idèd tantum esse motio metaphorica, quod non sit vera, & realis motio, sed quia sit solum alliciendo ad sui amorem, non autem per influxum physicum. Deinde non est necesse, vt inter causam finalem & omnes eius effectus intercedat distinctio, vt dicitur in sequentibus, vbi & ostenditur quomodo Deus agat propter finem; nunc satis est dicere, quod actus internus Dei non causatur à fine, sed solum actus eius externus.

SECTIO II.

Principium causandi finis.

Ponit ergo, quod finis mouendo ad amorem sui, sit vera, & realis causa, merito queritur quid illud sit per quod in actu primo constituitur potens ad causandum finaliter. Quia verò non causat finis nisi alliciendo voluntatem ad sui desiderium, non potest causare nisi per sui appetibilitatem, sicque sola bonitas esse potest principium causandi finis, cum illa sola sit, quæ allicit appetitum ad amorem sui; bonum enim, & appetibile sunt synonyma: sed quia tamen voluntas non potest vnquam moueri à bono incognito, propterea duplex potest esse hoc loco controuersia: primo, quale sit bonum quod causat finaliter: secundo, vtrum illud bonum moueat voluntatem quatenus est cognitum, an verò quatenus est reale.

Bonitas.

§. I.

Quale bonum causet finaliter.

Certum est primo, actus voluntatis alios esse prosequutiuos, alios auersatiuos. Prosequutiuus sunt illi, quibus voluntas fertur in bonum, vt amor, desiderium, spes. Auersatiui, quibus auersatur malum, vt odium, fuga, timor. Cum queritur, quid illud sit, quod causat finaliter, seu propter cuius amorem sit aliquid, queritur proprie quid illud sit, quod mouet voluntatem ad actus prosequutiuos, non autem quid illud sit, quod mouet ad actus auersatiuos, quod est diligenter notandum.

Certum est secundo, impossibile prorsus esse, vt voluntas actibus prosequutiuis feratur in malum vt malum est, neque in indifferens vt indifferens est; sed necessario ferri semper in bonum, vel certè in aliquid sub ratione boni; actibus autem auersatiuis ferri semper in malum vt malum. Ratio est, quam habet Philosophus 1. *Ethic. cap. 1.* vbi

Voluntas
non fertur
in malum.

P 3 notiss